



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 27. Seditio contra Clerum in Anglia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV.  
A. C. 1385.

## §. XXVII.

*Seditio contra Clerum in Anglia.*

Sub festum S. Martini diem Rex Richardus II Londini senatum habuit, in quo ei laici quintam decimam & dimidiam concedebant ea conditione, ut Clerus eidem decimam ac dimidiam solvere. At Cantuariæ Archiepiscopus Guilielmus Curtiniacensis se fortiter opponebat, affirmans Ecclesiam debere liberam esse, nec ei posse pecuniam per laicos irrogari; malle se caput amittere, quam Ecclesiæ Anglicæ imponi jugum servitatis finere. Hæc responsio laicos adeo concitavit, ut in comitatibus Ordo Nobilium & quidam Proceres magno impetu contenderent bona profana Clero adimenda esse: hunc tantos concepisse spiritus, ut actus charitatis foret hæc illi bona eripere, majoremque modestiam inculcare. Ita clamabant: ita scribebant ad Regem, rem tam esse facilem rati, ut multi Nobiles commoda sibi cœnobia nominarent ac æris summas, quibus illa emerent. En effectum doctrinæ Wicleffi!

Rex Richardus ambabus partibus auditis afferuit se statum Ecclesiæ Anglicæ eundem, quem in prima consensione solli vidisset, aut potius meliorem velle. Summis hoc responsum laudibus Clerus omnis, quin etiam laici probi efferebant:

Walsing.  
p. 320.

& Archiepiscopus habita cum Clero deli- Sæcul. XIV.  
beratione ad Regem admissus ajebat, il- A. C. 1386.  
lum communi consensu, & magna volun-  
tate concessisse summam decimæ, regio  
ex arbitrio insumendam. Rex id do-  
num tam lætus accipiebat, ut palam di-  
ceret: Malo id munus voluntarium, quam  
quater tantum extortum.

### §. XXVIII.

#### *Concilium Salisburgense.*

**M**ense Januario sequentis anni 1386 Pil-  
grinus Salisburgensis Archiepisco- to. II. cone.  
p. 2062.  
pus celebravit concilium, cui aderant Jo-  
annes Gurci, Fridericus Chiemii, & Jo-  
annes Seccovii Antistites, cæterorumque  
provinciæ Episcoporum, & quorundam  
aliorum Præfulum Procuratores. Septen-  
decim ibi canones condebantur, in qui-  
bus noto sequentia: Clerici omnes in per-  
agendo Divino officio se conforment ad  
morem cathedralis Ecclesiæ. Cavendum  
omnibus, ne absolvant a noxis reservatis,  
alioquin arcendi ab administrando mune-  
re. In casibus dubiis consulendus est  
Præpositus, an dari debeat absolutio. Cle-  
rici, præterquam dignitate, vel doctrinæ  
laurea prædicti non gerant assuta vestibus  
varia vellera. Fratres Mendicantes, qui  
Episcopis se non probaverint, neque au-  
diant confessiones, neque conciones ha-  
beant.

c. I.

2.

4.

6.

8.